



Universitätsbibliothek Paderborn

Praxis Episcopalis

In Qva Episcoporum Non Tantvm, Eorumqve Vicariorum munus; sed
Parochorum etiam & conscientiarum directorium concernentium casuum
ac dubiorum indies occurrentium Resolvtiones ... quàm brevissimè
continentur

Zerola, Tommaso

Coloniae Agrippinae, 1680

Homicida.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10447

striffimum Cardinalem Præfectum officio sanctæ Inquisitionis, & exinde expectare responsum, & ita vidi prædicari, & practicari.

Secundò, hæreticorum libros legens non incurrit excommunicationem latam in Bulla Cœnæ Domini, contra hæreticos, sed incurrit excommunicationem latam contra legentes libros hæreticorum sine licentia Sedis Apostolicæ, Nav. *conf. 5. nu. 1. loc. cit.* sed in clausula Bullæ Cœnæ Domini excommunicantur Papali excom. verùm Navar. potest intelligi, quando ex curiositate, non malo animo, prout in *pract. mea penit. cap. 21. q. 20.*

Tertiò, hæreticalia verba, vel male sonantia, etiam facetè & jocosè dicta, potest cognoscere, & castigare Episcopus, prout exemplificat Navar. *consil. 8. loc. cit.*

Quartò, an Episcopus vigore *cap. 6. sess. 24. Concil. Trident.* possit absolvere ab hæresi occulta, vel casibus reservatis à summo Pontifice, etiam in Bulla Cœnæ Domini?

Respondetur, quòd aliqui dixerunt per Bull. Cœnæ Domini esse derogatum dicto decreto, ut est videre in *pract. mea penit. cap. 22. quest. 4.* tamen dico, quòd potest à casibus Bullæ occultis absolvere Episcopus, & licet de hæresi occulta videatur dubitare, Navar. *consil. 10. num. 2. ver. ad secundam*, tamen, quia, ut ipse ait sic sacram Congreg. censuisse, & ego vidi dictam declarationem, tamen succedente casu, dico, & ipse etiam tenet, quòd posset Episcopus, quod etiam confirmat ex his,

quæ dicit in *conf. 11.* ubi tenet, quòd hanc absolvendi facultatem possit Episcopus concedere suo Vicario generali, & particulari concessione, vide in *d. pract. mea penit. loc. cit. & superius in ver. absolutio, §. 8. & pract. penit. cap. 15. qu. 19.*

HOMICIDA.

Primò, homicida, an sit ipso jure privatus beneficio? Respondetur, quòd non, ut patet in *ver. privatio, & juribus vulgatis, Cap. Tolol. qu. 207.* si verò homicidium præcedat collationem beneficii, collatio est nulla, quia fit personæ inhabili, *c. fin. de temp. ord. Conc. Trid. sess. 14. c. 1. de reform. & dicitur in ver. resignatio, §. 2.*

Secundò, homicidæ, & delicta, pro quibus præda sanguinis venit imponenda, non audiuntur, nisi in carceribus constituti. Pius IV. *Bull. 68. quæ incipit, & si justa, Jul. II. Bull. 11.*

Tertiò, homicida non potest ad locum delicti accedere, nisi prius habuerit pacem hæredum occisi, Pius IV. *Bull. 80.*

IMMUNITAS ECCLESIASTICA.

Prætor extrahens hominem malefactorem ab Ecclesia, tenetur eundem in eandem Ecclesiam restituere, alioquin punitur poenis impostis contra violantes ecclesiasticam immunitatem, Nav. *conf. 1. de immun. Eccles. imò de jure civili imponitur poena ultimi supplicii, Azo. in sum. lib. 1. cod. rub. 15. nu. 2.*

IN-